

anima permisi ut ederentur, quæ excellentissimis philosophis accepta esse intelligo, licet approbationem ortam sciam ex autoritate serenissimi Francisci Mariæ Feltrii, Urbinatis ducis, sub cuius patrocinio sese mundo ostentarunt. Et quoniam huius boni tu, vir illustrissime et reuerendissime, fuisti origo, qui etiam Dominus meus antiquus et optimus ac charissimus amicus existis, et in re et in amore me tibi multum esse deuinctum cognosco, et ne viderer gratitudinem et sinceram amicitiam fraudare, aliquam significationem utriusque dandam iudicaui. Quare mecum tacite hoc reputans et ad horum testificationem et perpetuam memoriam mutui amoris et amicitiae inter nos, nil accomodatius inueniri posse existimaui, quam si aliquem charissimum partum mei intellectus tibi offerrem : ideoque has *Quæstiones naturales*, filiolas meas recenter natas, tibi dedico et dono, rogoque ut eas uti prolem fidelissimi amici gratas habeas, quas etiam præeunte fauore Urbinati sub tuo nomine feliciter exituras spero. Vale et Deus te diu felicem seruet, et tua et amicorum et boni etiam communis causa.

Au folio 3 recto :

Πρὸς τὸν πανιερώτατον τῆς Φιλαδελφείας ἀρχιεπίσκοπον, τὸν Γαβριήλ Σβηρόν περὶ τοῦ βιβλίου τῶν φυσικῶν ζητημάτων τοῦ φιλοσοφωτάτου Πάουλου Λαυρετανοῦ, Φαβίου Παυλίνου ἐπίγραμμα.

Δῶρον ἔχεις, Γαβριήλ, πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων,
δόντι πρέπον Πάωλῳ, σοὶ τε λαβόντι πρέπον.
Καὶ γὰρ σοὶ γε δίδωσι σοφωτάτῳ ἀρχιερέων,
ἀνδρῶν ἀρχίσοφος, τῆς σοφίης μυελόν.

AD PRÆCLARISSIMUM ET DOCTISSIMUM POLVM
LAVREDANVM PATRITIVM VENETVM FABIVS PAVLINVS
EXARABAT

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
ruralis dixit carminis ille deus;
tu non, Pole, semel felix, sed terque quaterque,
qui, non contentus scire, doces alios.

